



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

52. An tempore interdicti, ut quis possit celebrare domi in Oratorio privato virtute Cruciatæ, sit omnino necessaria licentia Episcopi? Et in dicto casu, quomodo intelligendum est privilegium cum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

2. Sed ego puto, quod etiam si aliquis stet extra domum domini, si eius expensis alatur, quod potest dici domesticus, & gaudere privilegio bullae. Et ita hanc sententiam tenet Cāstrus Palaus tom. 4. tract. 25. di p. vn. punct. 6. n. 6. vbi sic ait: Quarto, conceditur in supradicto privilegio, vt non solum ipsi: sed etiam eius familiares, & domestici, & consanguinei possint Missas audire, & diuinis interesse. Bulla tamen Hispana mentionem solum fecit familiarium, & consanguineorum, non domesticorum. Ex quo aliqui inferunt, verbum *domestici*, potius restringere, quam ampliare, vt supponat solum pro familiaribus, qui domi commorantur, vt colligitur ex Nauarro, cap. 27. n. 181. Sed immerito hæc fit restrictio, cum extra domum Domini habitent plures, qui sumptibus domini aluntur, quique verè familiares sunt, imò & domestici dici possunt, quia ad ipsam domum pertinent.]

Sup. hoc in Ref. seq. §. 2. ad med. & inf. in Ref. §. 4. in primis quinque eius lin.

3. Sed, si quæras hic obiter, an dominus possit auditore Sacro, alteri interesse in gratiam famulorum, qui aberant, non caret difficultate propter Gloss. in c. licet qua id negat. Sed Auila de censur. p. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 7. §. Notandum, probabiliter reputat fieri posse: quia non astringitur dominus vnico Sacro assistere, sed pluribus adesse potest. Vide Palaum vbi supra num. 7.

Sup. hoc quaeritur absque Cruciatâ in to. 5. tr. 4. Ref. 6. & signanter in to. 3. tr. 6. ex Ref. 65. lege doctrin. §. Ex dictis & §. Et tandem.

4. Nota tamen hic incidenter, quod Sacerdos priuilegiatus tempore interdicti, vigore Cruciatâ potest eligere laicum, vt inferuiat Sacro, si Sacerdos non inueniat ministrum habentem priuilegium assistendi diuinis tempore interdicti, non autem fieri posse, si ministrum priuilegiatum reperiat: & ita sentiunt Auila de censur. par. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 7. Portel in dubiis Reg. verb. Interdictum, n. 29. & alij.

5. Sed hæc opinio mihi non placet: nam vt optime docet Suarez de legibus, lib. 8. c. 11. num. 7. posse inuenire ministrum priuilegiatum, esse quid accidentale, & ab eo non dependere vtilitatem huius priuilegij, quod per se efficac esse debet, & efficaciam transfundere in socium priuilegiati: additque hanc non esse extensionem, sed iuridicam, & rigorosam interpretationem priuilegij, quia concedens priuilegium, intelligitur concedere ea omnia, quæ ad vsum illius sunt accessoria, & à voluntate ipsius concedentis dependent, vt colligitur ex cap. Præterea, de Off. lud. deleg. & ex Gloss. ibi: concesso enim principali, conceditur & accessorium, vt ead. Gloss. notat vers. Ex eo quod, hoc ipsum tenentur asserere Authores illi, qui hanc doctrinam admittunt, etiam in casu, quo accessorium non est simpliciter necessarium, sed solum decens: & ita affirmant de illo, qui habet priuilegium recitandi Matutinum diei sequentis paulo post meridiem, & vt adiungetur in recitatione, assumit socium, in quo est eadem obligatio recitandi Horas canonicas; & tamen recitare Officium cum socio, non est simpliciter necessarium; sed solum est decens, & conforme Choro Ecclesiastico igitur à fortiori hoc est concedendum in casu nostro, in quo minister ad inferuendum Sacro est omnino necessarius.

## RESOL. LII.

An tempore interdicti, vt quis possit celebrare domi in Oratorio priuato virtute Cruciatâ, sit omnino necessaria licentia Episcopi?

Et in dicto casu, quomodo intelligendum sit priuilegium cum consanguineis, familiaribus, &c. ad audiendam Missam in supradicto Oratorio?

Et an sit necessarium, vt semper sit presens Dominus, vt possit celebrari Missa in dicto Oratorio pro con-

sanguineis, familiaribus, &c. non presente Domino. Ex p. 5. tr. 10. Ref. 77. alius 76.

§. 1. **R**espondeo tale Oratorium debere approbari ab Ordinario non desinam tamen hic adnotare quod conditio ista, quam requirit Bulla, vt scilicet Oratorium approbetur ab Ordinario, probabiliter censent nonnulli, quod satis intelligitur de Ordinario illius vel alterius Diocesis, nam si ad eligendum Confessarium pro reseruatâ tenent nonnulli sufficere approbationem à quolibet Ordinario, vt ex dictis cap. 2. abundè constat, etiam sufficere similis approbatio Oratorij ad celebrandum in eo. Quod si contingat locum esse decentem & idoneum ad arbitrium boni viri, & Ordinarius nolit illum approbare, nec facultatem præbere ad celebrandum in illo, potest certe compelli ad concedendam facultatem, quia non potest de fructu dare & priuare subditum priuilegio à Pontifice sibi concesso de habendo domi Oratorium; priuaret autem non concedendo licentiam. Imò qui vellet huiusmodi lites vitare, probabile satis videtur, quod licite possit tunc vt prædicto Oratorio, & in eo celebrare per se, vel per alium absque facultate Ordinarij, quia supposita decentia & idoneitate loci ad arbitrium prudentis viri, certè licentia iusta petita, & iniuste tum ab Ordinario negata, ipso iure intelligitur concessa à Papa. Hæc omnia docet Ludou. de la Cruz in Bulla Cruc. disp. 1. c. 5. dub. 1. n. 4. & 5. cuius doctrina est valde notanda: nam potest etiam deferui in casibus quotidianis, quando Papa concedit aliquibus licentiam habendi Oratorium in domo pro celebratione Missæ.

2. Notandum est etiam hic quod consanguineorum nomine de quibus loquitur Bulla, intelliguntur, qui sunt verè & propriè consanguinei vsque ad quartum gradum, tam si linea recta ascendentiũ & descendentiũ, quam collateralium, seu transfusaliũ eo modo, quo diximus supra hoc §. dub. 2. d. 2. nam Bulla generaliter loquitur, & sub nomine consanguineorum intelligitur vxor, & è contra vt dictum est loco citato. Igitur habens Bullam potest tempore interdicti localis generalis conuocare famulos, & famulas, qui ipsam comitari solent, & adducere ad Ecclesiam, vt secum Missam audiant, & pater, aut mater, aut alius suus consanguineus vsque ad quartum gradum, & domesticos, vt secum in Oratorio etiam tempore interdicti Missæ intersint. Et ita docet Trullench in Bulla Cruc. lib. 1. §. 3. dub. 5. n. 3. qui n. 4. optimè aduertit posse dominum, aut consanguineum in Ecclesia assistere alij Missæ; vel in Oratorio aliam Missam celebrare facere simul cum reliquis familiaribus, vel consanguineis, & contra Auilam de cens. p. 5. disp. 1. sect. 2. dub. 7. §. 6. qui oppositum iudicat satis probabile, nam Bulla non limitat ad vnã Missam, & sic Henriquez lib. 7. c. 11. Ref. 2. 4. ait in Oratorio etiam tempore interdicti Missa ratione Bullæ celebrari posse. Sed an dicto tempore interdicti familiares consanguinei, &c. debeant assistere simul cum domino habente Bullam in Oratorio, quando dicitur coram ipso Missa. Afirmatiuè respondet Henric. lib. 7. cap. 13. Rodriguez in Bulla §. 5. n. 5. & Trullench. Quare ait ille si dominus habeat multos familiares & consanguineos, & cum multis audiuit Missam, nequeunt reliqui familiares, vel cognati absente domino, vel consanguineo habente Bullam, aliam Missam audire. Sed hanc opinionem multi etiam probabiliter non admittunt. Et ided Ludouicus de la Cruz in Bulla Cruc. disp. 1. c. 5. dub. 3. n. 5. sic ait. Id autem quod notat Rodriq. nimirum Missam celebrari non posse coram familiaribus, aut consanguineis, nisi ipso domino presente, non placet quibuldam iuribus, quia Bulla concedit posse celebrari in sua & familiarium, & domesticorum, necnon consanguineorum

in suorum praesentia: ergo sicut possit celebrari in sua praesentia domini, non obstante illa particula copulativa, & ita etiam in sola praesentia famulorum, maxime habentium Bullam.

RESOL. LIII.

Quomodo intelligantur consanguinei, ut possint in Oratorio priuato cum privilegiato virtute Cruciatæ audire Missam?  
Et quomodo intelligantur familiares, & domestici: Ex p. 9. r. 1. Ref. 5.

**N**omine consanguineorum, inquit Henriquez lib. 7. de indulg. cap. 13. n. 2. intelligi vxorem, & matrem: quia non videtur ultra priusmodum gradum concessio extendenda. Et ratio est, non quia vox ista nequeat ad alios ampliari, sed ex intentione Pontificis volentis coarctare nomen ad vxorem, qua gaudere solet nobilitate & privilegio viri, & ad cognatos in primo tantum gradu: sed Author iste non se explicat, si per se primum gradum intelligat illum, qui est in linea tantum recta, an etiam in laterali.

1. An mihi magis placeat opinio Caltri Palai tom. 4. n. 23. d. 1. p. 1. n. 8. existimantis, comprehendere cognatos, tam ascendentes, quam descendentes, & collaterales vsque ad quantum gradum quia omnes hi consanguinei dicuntur. Vxorem verò comparatione mariti, & maritum comparatione vxoris, & omnes alios affines existimare non comprehendit; quia verè consanguinei non sunt. Ita ille, qui citat, quoad hoc vltimum, Sals in Manuscriptis.

3. Sed Pater Bardi in Bull. Cruc. p. 2. tr. 2. cap. 2. sect. 3. n. 2. tenet, quòd etiam sub eo nomine comprehendantur coniuges, tum quia Authores communiter ita sentiunt, vt Rodrig. Auila, Henricq. & alij: tum etiam, quia si agnatis conceditur participatio huius privilegij ob coactionem, quam habent cum priuilegiato principali, multò magis concedi debet vxori qui est vna caro cù vxore, tenet quos potius est velari quædã identitas, quam cognatio. Vnde ex his rectè dixit Villalob. in sum. 10. 1. n. 3. 7. d. 1. n. 16. [Mas en esta concession se concede, que quædam hazer celebrat en presencia de todos sus familiares, y parientes, lo qual es mucho mas amplo. Por familiares se entenden la gente de casa, que comen con ella el señor, aunque alguna vez esten fuera para negocios: mas no la criada, ó escudero, que estan asistidos para acompañar la señora, quando sale de casa a las fiestas: porque estos no son familiares en rigor: y esto quando ella oye Missa en su Oratorio, no podran oír Missa con ella.] Sic ille.

4. Notat etiam Bardi quòd non opus est consanguineos priuilegiati morari in eadem domo, cum ipso ad hoc vt privilegium istud participant, seu, quod idem est, non est necesse, vt sint domestici, aut illius familiares, sed sufficere titulum consanguinitatis, qui in Bulla apponitur, vt contra distinctum à reliquis, neque est vilius vestigium in ipsamet Bulla, per quod colligamus requiri cohabitationem istam. Quod autem prædicti possint, absente domino priuilegiato, audire Missam in priuato Oratorio, diximus affirmatiuè supra, & etiam Caltri Palai adduximus, licet Villalobos vbi sup. contrarium asserat, qui pro se citat Henricq. & Rodriq. Sed molta sententia est satis probabilis.

RESOL. LIV.

An saltem virtute Cruciatæ possint celebrari plures Missæ in priuatis Oratoriis?  
Et an laicus, vel Clericus, qui Bullam habet, possit vi illius

inuitare Sacerdotem ad celebrandum in Oratorio quolibet die etiam ex solemnioribus, quamuis Sacerdos ipse Bulla careat, vel ipsemet Sacerdos possit Ministrum priuilegiatum excitare ad vtendum suo priuilegio, per quod facultatem habet, vt Sacerdos in praesentia, ipsius Ministri celebret? Ex p. 9. r. 1. Ref. 5.

**N**on posse ex vi Indulti, quod solet concedere Pontifex, patet; quia id prohibetur in dictis licentiis, vt obseruat Quintanaducen. in Theol. mor. tom. 1. tract. 7. singul. 32. n. 6. Marchinus de Sacram. Ordin. tract. 3. p. 3. cap. 9. n. 9. & alij. Sed quid dicendum si talis priuilegiatus habeat Bullam Cruciatæ? Et affirmatiuè respondet Bardi in Bull. Cruc. p. 2. tract. 2. cap. 6. sect. 6. n. 24. ex vi Bullæ non solum vna, sed plures Missæ a pluribus Sacerdotibus eadem die in Oratorio priuato celebrari possunt. Probat, quia, etsi Breue Apostolicum, quo concessum fuit Oratorium, limitet illud ad vnam dumtaxat Missam quolibet die celebrandam; tamen hoc non tollit, quin per aliud privilegium, quale est priuilegium Cruciatæ, in quo non reperitur talis restrictio, possint plures eadem die Missæ celebrari. Insuper non solum priuilegiatus potest per seipsum vi Bullæ modo prædictæ celebrare, sed etiam vi eiusdem Bullæ celebrare facere ipsomet praesente, & sic si Minister, qui inferuire debet Sacro, sine laicus sit, siue Clericus Bullam habeat, poterit vi illius inuitare Sacerdotem ad celebrandum in Oratorio priuato quolibet die etiam ex solemnioribus, quamuis Sacerdos ipse Bulla careat, vel ipsemet Sacerdos poterit ministrum priuilegiatum excitare ad vtendum suo priuilegio, per quod facultatem habet, vt Sacerdos in praesentia ipsius Ministri celebret. Et ratio est, quia in Textu ipsius Bullæ habetur expressè, priuilegium posse vel per seipsum, vel per alium celebrare Sacrum in Oratorio priuato. Ita ille.

2. Nec supradictis obstat Decretum Pauli V. non licere in Oratoriis diebus solemnibus celebrare, & extra illos dies solum licere vnam Missam dicere cum limitationibus supradictis. Nam respondeo, hoc verum esse: ita vt vigore illius Indulti solum liceat cum limitationibus, & conditionibus ibi contentis, in Oratorio celebrare: at supposita Oratorij approbatione, & concessione, videtur concedere Pontifex per Bullam Cruciatæ, vt possit in eo celebrari absque limitationibus supradictis, eo quod talis licentia absolute & sine temporis, & personarum differentia in Bulla concedatur. Sic etsi Parochus ex vi suæ approbationis solum possit suas oues absoluerè, at supposita approbatione, si ab habente Bullam eligatur, potest alienas, non vigore suæ approbationis, sed quia supposita approbatione Papa ei per Bullam iurisdictionem confert. Sic in hoc casu, etsi nunc in Oratorio approbato solum possit strictè, & limitatè celebrari, & audiri Missa virtute approbationis, at supposita ea approbatione, per Bullam Papæ de nouo confert absolute licentiam celebrandi, & audiendi Missam. Quod insinuat videtur ipse Pontifex, qui non immemor decreti Congregationis supradictæ post illius promulgationem in Bulla confert supradictam facultatem, & concedit Cruciatæ Commissario facultatem suspendendi ea, quæ sunt Bullæ contraria. Ac proinde Pontifex per Bullam concessione, & promulgationem factam post supradicti Decreti promulgationem, censetur non obstante supradictò Decreto, supradictam facultatem in hac Bulla clausula contentam concedere. Vide à simili Henriquez lib. 3. de Penit. cap. 10. n. 2. lit. K. in decreto de abortu à Sixto V. anno 1596. & infr. §. 7. cap. 2. dub. 8. ver. quæres igitur. Nihilominus tamen admonendum semper censeo, vt rarissime hac vtatur facultate, propter decetiam tam tremendi sacrificij, & maxime vt curent fideles se conformare laudabili consuetudini, & piis monitis,

Sup. hoc primo sup. in Ref. 51. Sed si. & cursum ad med. §. 2. Ref. 52. & pro contentio in hoc textu vsque annotatione seq. lege sup. ex Ref. 28. 5. Nec per tot.

Sup. hoc in Ref. not. seq.

Quoad hoc & doct. seq. huius §. lege sup. doct. in Ref. 28. & inf. Ref. seq.

ANNA  
BIBLIA  
ILL. IV. V  
III